

sacerdotibus eam esse adhibendam, quibus tamen non negat remedium poenitendi h. e. Sacramentum poenitentiae. Quod si velis cum pluribus eruditis fuisse reapse absolutos a peccatis poenitentes in ultima reconciliatione, qua ad participationem Sacramenti altaris admittebantur, id etsi modo demus, attamen ea quoque impositio manus, quae tunc adhibebatur, non esset dicenda habita fuisse necessaria a Patribus pro administratione Sacramenti, quod supponitur tunc fuisse collatum. Sic enim statuunt Patres Concilii Arausicani I aetate Leonis Magni, cn. 3. iam superius citato: « Qui recedunt de corpore, poenitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi, secundum definitionem Patrum, qui huiusmodi communionem viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine poenitentium, ut ostensis necessariis poenitentiae fructibus legitimam communionem reconciliatoria manus impositione percipiant. » Itaque hi Patres Arausicani, provocantes etiam ad traditionem Maiorum, distincta reconciliatoria manus impositione, quae post poenitentiam acceptam fiebat, a Viatico, eaque negata, hoc sufficere aiunt consolationi morientis, quod profecto non suffecisset si sine illa manus impositione remissio peccati a ministro sacramenti dari non potuisset.

III. Quare manus impositio in reconciliatione ritus erat illius ultimae absolutionis, qua poenitentia functis remissio reliquae poenae coram Deo dabatur (cf. quae dicemus de hac re in Append. cit.); iisque potestas simul fiebat participandae communionis Eucharisticae, quae idcirco, ut Patres Arausicani loquuntur, appellabatur *legitima*, cum iis dabatur, qui secundum leges publicae poenitentiae functi essent poenitentia; tunc enim ea debebatur: ut distingueretur ab ea communione, quam, nequis periret, Ecclesia in articulo mortis ante exactam poenitentiam concedebat. Huc quoque facit canon 78 Conc. Carthag. IV. « Poenitentes, qui in infirmitate Viaticum Eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint ». Ex quibus patet non semper infirmis Eucharistiam ideoque et absolutionem a peccatis datas fuisse cum manus impositione. Cf. cn. Arausic. mox allatum.

Ergo ritus impositionis manus neque olim habitus est essentialis administrationi Sacramenti poenitentiae.

THESIS XV.

Subiectum capax exercendae potestatis remittendi et retinendi peccata solus est iure divino Sacerdos primi secundique ordinis; falsumque haberi debet, quod quidam sunt commenti, factam aliquando ab Ecclesia Diaconis potestatem sacramentaliter absolventi.

I. Thesis affirmans est et exclusiva; omnisque difficultas in ea parte, quae excludens est, reperitur. Quod enim Episcopis potestas clavium competat nemo negat, qui non negat eos esse in Ecclesiae regimine successores Apostolorum, ipsaque ecclesiastica historia docet eosdem primis Ecclesiae seculis vel solos vel praecipue hoc munus exercuisse impertiendi poenitentibus absolutionem a peccatis. Eam potestatem pariter sub Episcopis competere et iis, qui in monumentis Ecclesiasticis cuiusque aetatis veniunt nomine *presbyterorum*, quo ab episcopis et diaconis discernuntur, et in confesso est apud omnes et continua praxis Ecclesiae docet, atque iis argumentis confirmabitur, quibus pars exclusiva thesis demonstratur.

Porro advertendum est quod *Sacerdotis* nomine primis Ecclesiae seculis veniebat $\kappa\alpha\tau' \ \epsilon\acute{\xi}\omicron\chi\eta\nu$ Episcopus (cf. Cyprianum epist. 55. alibique et Chrysostomum *de Sacerdotio*) et haec ratio loquendi penes Leonem M. frequenter occurrit. Attamen non ita erat etiam tum Episcopis propria haec appellatio, ut presbyteris denegaretur; imo et ipsi quoque sub hac appellatione intelligebantur, licet secundo. Sane ea aetate Augustinus De Civ. Dei. L. XX. c. 10. enarrans verba Apocalypsis: *sed erunt Sacerdotes Dei et Christi*, ait: « non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, qui proprie iam vocantur in Ecclesia Sacerdotes, sed etc. » Hinc Innocentius I in decretali epistola ad Victricium n. 12. de continentia loquens, quam certi ordinis clerici servare debent, nominat tantum *sacerdotes* et *levitas*, cum vero ea certe obligarentur episcopi et presbyteri, patet ea appellatione Sacerdotum utrosque fuisse designatos. Et idcirco idem Innocentius in epist. decretali ad Decentium 6. ait presbyteros esse *secundos sacerdotes, carentes apice pontificatus*. Unde ipse Cyprianus, qui sacerdotis nomine frequentissime episcopum designat, presbyteros quoque identidem vocat Sacerdotes, ut in epist. 68. inquit: « Neque hoc in episcoporum tantum et sacerdotum, sed et in diaconorum ordinationibus observasse apostolos animadvertimus ». Et quidem iure haec appellatio ipsis facta; si enim Sacerdos est qui sacra facit, qui sacra distribuit, qui sacrificium offert, cum haec pre-

sbyter ex munere suo quoque praestet, sacerdos dicendus est, licet praestantior sit Episcopus, qui pontificatus apicem tenet, omnium sacrorum faciendorum et distribuendorum habens potestatem. Quia vero ab initio Ecclesiae, cum collectae fidelium non admodum esset numerosae, ordinarie solus Episcopus adstantibus presbyteris sacrum faciebat, sicut et cetera sacramenta administrabat, presbyteri vero ex delegatione, prout necessitas aut fidelium utilitas exigebat, exinde videtur factum esse ut ea aetate nomen sacerdotis haeserit praecipue Episcopis; cum e contrario postea crescente numero fidelium ac presbyteris ordinarie sacrificantibus et alia sacramenta administrantibus, sacerdotis nomen simpliciter adhibitum incepit designare presbyteros, Pontificum nomine episcopis indicatis. Forte appellationem *sacerdotis* iam cepisse in Africa fieri propriam presbyterorum significavit Augustinus verbis supra citatis. Qui secundum gradum in Ecclesiastico honore habent, *Sacerdotes* simpliciter vocat Hieronymus in Ieremiam c. XIII, v. 21. Haec ergo a pluribus seculis ratio loquendi communis est in Ecclesia, ut Sacerdotis nomine presbyter vel solus vel simul cum episcopo intelligatur eamque sanxit Trid. Syn. Sess. XXII, et XXIII. Unde liquet rem saltem hac appellatione significatam veram esse et ex antiqua Traditione manifestam. Diaconis vero non nisi identidem et cum addito facta est appellatio *sacerdotis*, ut satis liqueat eos per quamdam analogiam ita esse vocatos. Optatus e. g. in L. I. n. 43. ait *Diaconos in tertio, presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos*. Nimis tamen frequenter et clare opponuntur Diaconi Sacerdotibus, ut illos a vero Sacerdotio alienos esse satis constat.

Contendimus ergo solum episcopum et presbyterum, uno verbo solum Sacerdotem esse divino iure subiectum capax exercendae potestatis remittendi et retinendi peccata. Probatio ex solis Christi verbis colligi nequit, ex quibus constat quidem successores quoque in hoc munere Apostolis exstituros, sed quinam sint non docemur. Consulenda est ergo traditio. Argumentum itaque huc redit. Ecclesia tum praxi tum doctrina significavit censere se huius potestatis subiectum capax esse solum Sacerdotem ceterosque iure divino excludi ab hac dignitate: ergo.

II. Antecedens probatur huiusmodi animadversionibus. α) Quotiescumque penes Patres occurrit occasio nominandi eos, qui ministri sunt Sacramenti poenitentiae, soli semper Sacerdotes nominantur. Ita e. g. Cyprianus De Lapsis « quanto et fide maiores et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum *apud Sacerdotes Dei* dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim

conscientiae faciunt ». Et rursus « confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio et remissio *facta per Sacerdotem* apud Dominum grata est ». Origenes in Leviticum hom. 2: « Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per poenitentiam remissio peccatorum... cum non erubescit *Sacerdoti Domini* indicare peccatum suum ». Ambrosius De Poenit. L. II, c. 9: « Nonnulli ideo poscunt poenitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam *Sacerdotem* ligare. Suam enim conscientiam non exuunt, et *Sacerdotis* induunt, cui praeceptum est: Nolite Sanctum dare canibus ». Innocentius I. epist. ad Decentium c. 7. « Ceterum de pondere aestimando delictorum *Sacerdotis est iudicare*, ut attendat ad confessionem poenitentis etc. » Gregorius M. in I. Regum c. 5. n. 13. et 14. « Afflictio poenitentiae ad delenda peccata tum demum idonea est, cum *sacerdotis* fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis ». Hic porro sacerdos ille est qui, ut n. seq. dicit; « tenere peccata et dimittere potest » provocatque ad Ioan. XX. 21. Iam vero vel ex hac sola loquendi ratione colligere primo id saltem licet presbyteris quoque competere potestatem absolvendi: nam et ipsi inter veros sacerdotes recensendi sunt.

Et sane constat retentum esse primis Ecclesiae seculis quod haec potestas non solis episcopis competat, sed sub ipsis quidem sit presbyteris quoque communis. Liqueat id luculenter ex historia haeresis Aerii, qui pares prorsus faciebat episcopis presbyteros. Ut enim huius novae doctrinae falsitas demonstraretur, Patres provocabant ad potestatem ordinandi seu generandi patres in Ecclesia, quae propria est episcoporum, nunquam ad potestatem remittendi peccata. Ita Epiphanius haer. LXXV. Eodem quoque pacto Hieronymus loquitur epist. 146. ad Evangelium, asserens omnia facere presbyterum, quae facit Episcopus, excepta ordinatione. (Cf. in Tract. nostro de R. P. §. XIV. De Ecclesia). Constat ergo sacerdotes, quibus potestas competit remittendi peccata, esse tum episcopos tum presbyteros.

Idcirco Patres enarrantes verba Christi, quibus potestatem fecit remittendi peccata, episcopos simul et presbyteros appellant. Ita Hieronymus in Matth. XVI, 19. « Illum locum episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur etc. » Cui consentit Haymo Halberstatensis auctor sec. VIII. hom. in Dominicam 19. post Trinitatem: « Legimus eodem die resurrectionis dixisse Dominum Discipulis suis: accipite etc.; et ante passionem dixit Petro: quodcumque etc. Eandem potestatem dedit Dominus beato

Petro et ceteris Apostolis, eandem potestatem tribuit episcopis et presbyteris, qui officio Apostolorum funguntur ». Porro cum Sacerdotum tantum mentio fiat in hac re, quae ex divina pendet ordinatione, iam praeterea satis liquet ipsis unis eam competere potestatem.

β) At Patres quoque diserte affirmant aut significant potestatis huius solos Sacerdotes esse participes. Ambrosius De Poenit. L. I. c. 2: « Ius hoc solis permissum est Sacerdotibus ». S. Leo l. c. idem docet his quoque verbis: « Sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri ». Regino auctor sec. X. in L. I. De Ecclesiasticis Disciplinis ex poenitentiali Romano haec habet cc. 295 et 296: « Sicut sacrificium offerre non debent nisi episcopi et presbyteri, quibus claves Regni caelorum traditae sunt, sic nec poenitentium iudicia alii usurpare debent. Si autem necessitas evenierit, et presbyter non fuerit praesens, diaconus suscipiat poenitentem ad sanctam communionem ». Nimirum, quandoquidem Sacramentum Eucharistiae ab eo, qui reus sit peccati lethalis, suscipi potest in casu necessitatis, praemissa tantum contritione saltem existimata, hinc, deficiente presbytero, iubetur diaconus dare sanctam communionem, quam ministrare certe potest in casu necessitatis, ne poenitens pereat. Id porro ostendit certum tunc fuisse Diaconos nullo modo posse Sacramentum poenitentiae administrare; secus enim in casu necessitatis hoc quoque iis fuisset permissum.

Quare cum episcopi alios sibi in munere publicis peccatoribus poenitentias dandi et eos absolvendi substituerunt, non nisi presbyteris id curae demandatum fuisse ab eis constat. Habes id a Socrate L. V, c. 19: « Sub idem tempus presbyteros Ecclesiarum, qui poenitentiae praeerant, placuit aboleri, idque ob huiusmodi causam. Postquam Novatiani se ab Ecclesia seiunxissent, eo quod cum illis, qui persecutione Deciana lapsi fuerant, communicare noluissent, ex illo tempore episcopi poenitentiarum presbyterum albo Ecclesiastico adiecerunt, ut qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ob eam rem constituto confiterentur ».

Patres proinde ad commendandam dignitatem Sacerdotum, eosque ceteris praeferendos, inde argumentum petunt quod iis data sit potestas remittendi peccata. Chrysostomus De Sacerdotio L. III, c. 5: « Qui terram incolunt, iis datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est: quaecumque alligaveritis etc. Habent quidem et terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum. Id autem, quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam attingit, atque ad caelos usque pervadit ».

Iidem Patres comparant ministerium remittendi peccata in Ecclesia ministerio purgandi vel declarandi purgatos a lepra homines in veteri Synagoga, ut quemadmodum illud solis Sacerdotibus licebat, hoc quoque solis Sacerdotibus competere haud obscure significant. Ita idem Chrysostomus ibidem: « Corporis lepram purgare, seu, ut verius dicam, haud purgare quidem sed purgatos probare, iudaeorum Sacerdotibus licebat. At vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animae sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est ». Hieronymus in Matth. XVI, 19. « Quomodo ibi (in lege veteri) leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit; sic et hic alligat vel solvit episcopus aut presbyter ». Beda in Lucam L. V, c. 69: « Nullos Dominus eorum, quibus haec corporalia beneficia praestitit, invenitur misisse ad Sacerdotes, nisi leprosos: quia videlicet Sacerdotium Iudaeorum figura erat Sacerdotii futuri regalis, quod est in Ecclesia ».

Et sane in omnibus antiquis ritualibus (cf. Morinum et Marthene infra citatos) solius Sacerdotis mentio fit cum minister absolutionis exhibetur.

Igitur soli ii, qui Sacerdotum nomine in Ecclesia veniunt, ius habent remittendi retinendique peccata.

Quocirca γ) inter articulos, circa quos in mandato Martini V. interrogandi erant qui suspicione laborabant haeresis Wiclephi, exstat 20: « Utrum credat quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, et non laico seu laicis quantumcumque bonis et devotis ». Eugenius IV in Instructione pro Armenis, De Sacramento poenitentiae loquens, ait: « minister huius Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem solvendi ». Inter errores Lutheri a Leone X proscriptos, tertius decimus ita se habet: « In Sacramento Poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus Sacerdos, imo ubi non est Sacerdos, aequè tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset ». Tandem Conc. Trident. Sess. XIV, cp. 6. haec sanxit: « circa ministrum huius Sacramenti declarat s. Synodus falsas esse et a veritate penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines, praeter Episcopos et Sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt ». Cf. cp. 10.

Itaque ex definitione Tridentina nullus alius praeter episcopos et presbyteros habet potestatem clavium; igitur neque Diaconus qui inter ceteros exclusos continetur; cuius tamen mentio specialis non fit, quia error Lutheri non erat specialiter circa eum, sed error in eo erat quod non soli episcopi et presbyteri sint ministri Sacramenti poenitentiae.

Adverti potest, cum Sacramentum aliquod habet ministrum *ordinarium et extraordinarium*, eos accurate distingui a Tridentino: cf. Sess. VII, cp. 3. De Confirmatione. Quoad Sacramentum vero Poenitentiae nulla distinctio fit, et cum aliunde ea sit prorsus aliena a sensu et praxi Ecclesiae, est prorsus reiicienda.

III. Ioannes vero Morinus L. VIII, c. 23. et Edmundus Marthene De Antiquis Ecclesiae Ritibus L. I, c. VI, a. 6. docent Ecclesiae veteris consuetudinem fuisse ut in necessitate Diaconi quoque absolutionem impertirent. Huius opinionis (quae innititur hypothese quod absolutio data olim in fine poenitentiae publicae esset sacramentalis) argumenta sunt quae sequuntur.

Itaque obiicitur ratio agendi s. Cypriani, qui epist. XII. ad presbyteros et diaconos Carthaginensis Ecclesiae haec scribit: « Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum esse et iam aestatem cepisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestat, occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a Martyribus acceperunt, et praerogativa eorum apud Deum adiuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata praesentia nostra, apud presbyterum quemcumque praesentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus caeperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt ».

Respondeo primum incertum esse an ageretur de impertienda illis poenitentibus remissione peccati, an de impertienda condonatione universae poenae propter martyrum merita (App. §. II), admissis iisdem ad Eucharistiae participationem: quae communio cum plena remissione poenae erat pax, quam Martyres lapsis flagitaverant. Si hoc alterum, patet quod exomologesis non erat sacramentalis, atque diaconus quoque, mandante episcopo, poterat reconciliare hoc pacto poenitentes ac pacem dare. Si primum supponitur, neque ex eo constat Cyprianum fecisse diaconis potestatem absolventi sacramentaliter. Nam quid prohibet in his Cypriani verbis illam diaconorum functionem intelligere, quam superius audivimus a Reginone? Etsi enim eandem formulam pro utroque, presbytero et Diacono, Cyprianus usurpet: *exomologesim facere delicti sui*, quoniam tamen haec formula non necessario significat confessionem sacramentalem, sed per se aliquid minus definitum, confessionem nempe qualemcumque peccati, veniaeque petitionem, pronum est ut eadem formula alio et alio magis determinato sensu accipiatur secundum naturam diversorum subiectorum. Oportebat ergo ut poenitentes vel soli diacono praesenti se reos criminis faterentur ve-

niamque deprecarentur, ut sic ostenderent se vere sui criminis poenitere et sic dignos esse Eucharistiae participatione, qua reconciliationem cum Deo consequerentur, si, licet sibi viderentur, non essent tamen vere contriti. Huc spectat quod in epistola ad Fabium Dionysius Alexandrinus refert (Eusebii H. E. L. VI. c. 44.), cuidam scilicet Serapioni lapso datam fuisse pacem a presbytero, missa ad eum, cum aliter fieri non posset, per manus pueri alicuius Eucharistia.

Alia obiiciuntur, quae potius thesim nostram confirmant, et quorum sensus ex dictis debet esse manifestus. Huiusmodi est canon 32. Conc. Illiberitani. « Apud Presbyterum, si quis gravi lapsu (est quaedam casus reservatio) in ruinam mortis inciderit, placuit agere poenitentiam non debere, sed potius apud Episcopum. Cogente tamen infirmitate, necesse est presbyterum Communionem praestare et diaconum, si ei iusserit Sacerdos ». Hic non fit mentio absolutionis, sed communionis, quae vel est reconciliatio ecclesiastica vel Eucharistica Communio pignus reconciliationis et arrha salutis.

Ita Alcuinus in libro De Divinis Officiis in capite ieiunii, ait: « Non omnes Clerici aut ullus laicus hanc scripturam usurpare aut legere debent, nisi soli illi, quibus necesse est: hoc sunt episcopi vel presbyteri, quibus claves regni caelestis traditae sunt; sic nec iudicia ista alius usurpare debet. Si autem necessitas evenerit, et presbyter non fuerit praesens, diaconus suscipiat poenitentem, ac det sanctam Communionem ».

Quid ergo est quod ait Iacobus V, 15. Confitemini ergo (haec causalis deest in pluribus graecis codicibus) alterutrum ἀλλήλοις (alter alteri) peccata vestra? Si de confessione sacramentali haec sermo est, quod non est prorsus certum, significatur confessio alterius ad alterum, quae nempe non fiat tantum Deo, sed et homini: at cum discretionem, ut scilicet certi eligantur, quibus fiat confessio; quos haec Apostolus non nominavit, sed vel ex Ecclesiae doctrina determinandum reliquit, vel cum paulo ante memorasset presbyteros, eos haec quoque intelligi voluit. Certe traditionis doctrina aliunde cognita vetat ne ἀλλήλοις interpreteris *mutuo* ita ut quilibet confitens possit et excipere confessiones, et idcirco etiam femina.

IV. Pro assequenda pleniore intelligentia quorundam canonum aetatis mediae, qui a Morino aliisque nobis obiiciuntur, iuverit forte hanc historicam animadversionem praemittere. Scilicet ea aetate consuetudo quaedam inducta fuit, ut in casu necessitatis, deficiente Sacerdote, quis humilitatis causa et pro exercenda, quantum in eo situm erat, poenitentia, etiam laicis confiteretur peccata sua, non vero ut indulgentiam a laico obtineret, quam constabat dare non posse. Id testantur Thomas Cantipratensis coaevus Doctori Angelico

L. II. De Apibus c. 23. et Guillelmus Lyndewode auctor sub initium seculi XV in Glossa ad Constitutiones Angliae, ad Titulum de Sacramentis non iterandis v. poenitentia: « Laico posset quis confiteri in necessitate, ut per hoc appareat Ecclesiae de sua contritione. Non potest tamen Laicus absolvere vel ligare; cum non habeat claves Ecclesiae ». Cf. etiam *Lo specchio della vera penitenza* di F. Iacopo Passavanti Dist. V. c. 4°. Iam auctor libri de vera et falsa poenitentia inter opera Augustini id consulebat c. X. « Tanta vis est confessionis, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo. . . . Et si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia ex desiderio Sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis ». De huiusmodi confessione facta laicis loquitur s. Thomas q. VIII. a. 2. (in supplemento) inquit quod « quando necessitas imminet, debet facere poenitens quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest; quia quamvis Sacramentum perficere non possit ut faciat id quod ex parte Sacerdotis est, absolutionem scilicet, nihilominus confessio laico ex defectu Sacerdotis facta sacramentatis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum; quia deest ei id, quod est ex parte Sacerdotis ». Haec a s. Doctore dicta sunt ut rationem afferret illius usus satis communis et pii. Qui tamen usus sub initium sec. XIV. caepit sensim remitti, et tandem aboleri.

Iam vero haec consuetudo fuit ratio, ut deficiente presbytero, si diaconus adesset, ei potissimum quis sua peccata confiteretur, et occasio forte quoque fuit ut quidam diaconi propterea sibi vindicarent potestatem clavium; sicut olim non paucis in locis potestatem sibi asseruerunt etiam offerendi, ut testantur Patres Arelatenses can. 15. Cf. Hefele. Hist. Conc. Tom. 1. pag. 182. Exinde orti ii Canones, qui nobis obiciuntur. Canon Concilii Londoniensis anno 1200. « Non liceat diaconibus baptizare vel poenitentias dare, nisi duplici necessitate, verbi gratia, quia Sacerdos non potest, vel abest, vel stulte non vult, et mors imminet puero vel aegro ». Permittitur nempe diaconis quod tum in usu erat etiam fieri Laicis sed in necessitate. Item Statutum Odonis De Soliaco Episcopi Parisiensis, qui defunctus est anno 1208. in Synodalibus Statutis, n. 56. « Item prohibetur districte ne diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate; claves enim non habent, nec possunt absolvere ». Negatur iis potestas unquam absolvendi, sed in necessitate iis permittitur audire confessionem eam, quam quodammodo Sacramentalem vocat Thomas. Et paulo ante in Synodo Eboracensi anno 1194. « Decernimus ut non nisi summa et gravi urgente necessitate diaconus baptizet, vel corpus Domini cuiquam erogat, vel

poenitentiam contenti imponat » ubi de absolutione proprie sermo non est, sed de sola confessione, quae tunc aliis quam presbyteris in casu necessitatis fieri solebat. Ita quoque sancitum est in Constitutionibus synodalibus Sanctanensis Ecclesiae editis anno 1179 ab Simone Cardinali Legato, qui fuit postea Martinus IV: « Non permittant sacerdotes diaconos deferre s. Corpus Domini infirmis, nec audire confessiones, cum claves non habeant, nisi necessitas hoc exigat propter absentiam sacerdotum ». Simile decretum ex Concilio Triburiensi ann. 895 exstat in Lib. V. Decretalium c. Fures, de Furtis: « Fures et latrones, si in furando vel depraedando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi aut vulnerati presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus ». Confessio scilicet vel soli diacono facta, si presbyter abesset, sufficiens erat indicium contritionis et conversionis, ut idcirco deberet eis communio administrari a Diacono. Verum ex eiusdem Concilii textu pro *Diacono* legendum est *Deo*; ait enim: *Deoque et Sacerdoti*.

Et haec erat quidem tunc communis satis ratio loquendi, quae in ea praxi, cuius mentionem fecimus, rationem sui habebat: modum tamen excedit quod exstat in statutis Synodalibus Nicolai episc. Andegavensis ann. 1273: « cum quis rei ad se non pertinenti non debeat immisceri nec ea, in quibus non habet potestatem, ausu temerario usurpare et in quibusdam locis nostrae dioecesis comperimus nonnullos rectores secum diaconos habentes, qui sine necessitatis articulo confessiones audiant et *absolvant indifferenter*, corpusque dominicum infirmis deferunt et ministrant, quae facere non possunt nisi in necessitatis articulo, hoc fieri inhibemus » (Spicilegii D'Achery Tom. XI). Forte id quod in fine dicitur, id non licere nisi in necessitatis articulo, noluit auctor canonis extendi ad omnia, quorum superius mentionem fecerat, sed imprudenter declarationem omisit. Quod tamen paulo post declaratum est in Synodo Pictaviensi, iuxta cuius sententiam accipi potest et statutum Andegavense. Itaque Synodus Pictaviensis anno 1280, hoc decretum edidit: « Abusum erroneum, qui in nostra Dioecesi ex perniciosa ignorantia inolevit, eradicari volentes, inhibemus, ne diaconi confessiones audiant et ne in foro poenitentiali absolvant: *cum certum et indubitatum sit ipsos absolvere non posse, cum claves non habeant, quae in solo sacerdotali ordine conferuntur* ».

Iam vero liquet quod idonea sit ea interpretatio, quam dedimus, verborum harum Synodorum, ex illa praxi, quam diximus tunc exstitisse confitendi aliis etiam non presbyteris, etiam laicis: qua existente fieri poterat, ut quoddam ius diaconi sibi vindicarent. Dices: si syn-

odorum decreta de sola confessione loquerentur, cum tunc praxis foret ut laicis quoque confessio fieret, nihil reapse fuisset concessum diaconis prae aliis in extrema necessitate. Respondeo diaconis permissum fuisse audire confessiones et poenitentias dare ex auctoritate, ut administrata communione reconciliarent poenitentes, quemadmodum Cyprianus alique, quos citavimus, olim statuerunt. At si contendas valide tunc diaconos non solum confessiones sacramentales excipere, sed et absolvere potuisse, primum contradicis testimoniis citatis eiusdem aetatis, tum rem prorsus inexplicabilem ponis, cur scilicet id vetitum ipsis tandem ea aetate fuerit, cur deinceps per tot secula nunquam in Ecclesia illud ius probatum et in actum deductum fuerit, etiam gravissima urgente necessitate. Cf. n. seq. Habes ergo solum aliquod factum, quod diaconi confessiones exceperint, et etiam absolverint: sed factum solum, ipsumque a legitima auctoritate reprobatur, quid probat?

V. Ex hactenus demonstratis illud quoque constat praerogativam hanc *solis Sacerdotibus* competere *iure divino*. Et quidem competit iure divino: competit enim propter verba Christi conferentis potestatem remittendi et retinendi peccata Apostolis, eorumque successoribus, qui hac in re sunt Sacerdotes. Competit iure divino ipsis; quia hoc ius divinum iis solis competere potest, qui vel Apostoli sint, vel eorum successores; iis enim tantum est datum: nequit autem competere hoc ius nisi quibus est datum a Christo. Porro solos sacerdotes esse in hoc munere successores Apostolorum Ecclesia semper arbitrata est, h. e. censuit Ecclesia nullum esse praeter Sacerdotes vel extraordinarium ministrum huius potestatis permissum a Christo nullamque sibi facultatem factam esse concedendi aliis praeter Sacerdotes potestatem absolventi. Quod liquet ex hactenus allatis testimoniis Patrum Scriptorumque Ecclesiasticorum ac definitionibus Ecclesiae iam citatis, atque ex ipsa illa praxi quae non paucis in Ecclesiis penes non paucos fideles viguit et ab Ecclesia erat cognita atque a Doctoribus probata, praxi inquam confitendi in necessitate aliis quam Sacerdoti. Ea enim etiam admissa, sensus et persuasio Ecclesiae, ut ex doctoribus liquet, erat, confessionem illam non esse proprie sacramentalem nec qui eas audiebat confessiones, posse absolvere. Atqui si unquam Ecclesia censuisset esse, praeter Sacerdotem, alium ministrum extraordinarium absolutionis, vel se posse hanc facultatem aliis facere, profecto in casu, qui infrequens non est, necessitatis, cum consuetudo confitendi aliis quoque recepta esset, sensus hic Ecclesiae sese explicasset, ac declarasset Ecclesia, cui potissimum curae est ne aliquis *pereat* (Trid. sess. XIV. p. VII.), diaconis saltem eam potestatem fieri in casu ne-

cessitatis. Cum igitur etiam tum Ecclesia in ea sententia permaneret sine Sacerdote Sacramentum non fieri; dicendum est Sacerdotem iure divino unicum esse in quolibet casu ministrum absolutionis.

THESIS XVI.

Cum sententia absolutionis, quam Sacerdos profert, sit sententia iudicialis, praeter potestatem ordinis requiritur in Sacerdote potestas iurisdictionis ut valida sit absolutio. Hanc autem potestatem non ex vi ordinationis per characterem sacerdotalem, sed per Ecclesiae concessionem Sacerdotes obtinent.

I. Duplex distinguitur potestas, *ordinis et iurisdictionis*. Potestas ordinis est principium ex vi ordinis suscepti, existens indelebiter in homine, alicuius effectus Sacramentalis. Potestas iurisdictionis, sive quod idem est, iurdictio est potestas dirigendi et efficaciter urgendi actiones fidelium in finem supernaturalem. Quare triplex est eius species, legislativa, iudiciaria, coactiva (cf. cl. Tarquini, Iuris Publici Eccl. L. I.). Potestas ordinis quadam consecratione obtinetur; potestas vero iurisdictionis obtinetur voluntate vel Dei solius eam suo Vicario communicantis, vel hominis eam suis inferioribus participantis (s. Thomas II. III. q. XXXIX, a. 3). Terminus, in quem agit potestas ordinis, est simpliciter subiectum aliquod effectui recipiendo idoneum, terminus vero, in quem agit potestas iurisdictionis, est subditus, qui est terminus relativus essentialis ei, qui pollet potestate hac, nempe superiori. Alterutra potestas potest esse sine alia, ut potestas iurisdictionis Episcopalis tota est in Episcopo confirmato nondum consecrato, sine potestate ordinis Episcopalis; et haec est sine illa in Episcopo consecrato nullam habente Dioecesim.

Potestas ordinis non eo spectat ut faciat esse legitimum actum, qui ab ea prodit, sed tantum esse validum sive efficacem; se enim illa habet perinde ac causa aliqua physica, quae potens est effectum producere, ad cuius efficaciam nullo modo exigitur, ut operatio causae sit moraliter licita.

Potestas ordinis alia est completa, alia incompleta. *Completa* est, quae sibi sufficit ad valorem actus, ut potestas consecrandi corpus Christi, ordinandi, confirmandi. *Incompleta* est quae sine alia potestate, quae est iurisdictionis, non sufficit, ita ut, si sola sit, faciat nihil, et vicissim potestas iurisdictionis, sine potestate ordinis, pariter nihil faciat. Talis est potestas absolventi a peccatis. Simplex Sacerdos habet potestatem ordinis, sed, si careat iurisdictione, ab-